ORDINIS MEDICI
IN
VNIVERSITATE LITTERARIA IENENSI
H. T.
DECANVS

# D. CHRIST. GODOFRED. GRVNER

SERENISS. DVC. SAXO-VINAR. ET ISENAC. A CONSIL. AVL. BOT. ET THEORET. MED. PROF. PVBL. ORD. ACAD. NAT. CVRIOS. SODALIS REL.

# SOLLEMNIA INAVGVRALIA

VIRI PRAENOBILISSIMI ATQVE EXPERIENTISSIMI

## CAROLI CHRISTOPHORI STREBEL

SAALFELDENSIS

A. D. XVI. OCTOBRIS CIƆIƆCCLXXX.

INDICIT

---

PRAEMITTVNTVR

# NATALES ET VITA CASPARIS HOFMANNI AD GVIDONEM PATINVM MEDICVM CHRISTIANISS. GALLORVM REGIS PRIMARIVM ET PROFESSOREM LVTETIANVM AB AVCTORE PAVLLO ANTE OBITVM SVVM PERSCRIPTA.

*JENAE*

LITTERIS MAVKIANIS





Si quid eſt in vita viri docti praeclarum atque memorabile, ſi quid omni laude maius, in eo mihi ponendum eſſe videtur, quod non natus vni ſeculo eſt. Dum libris impalleſcit, conſumitur aetate ac viribus, et miſerum per lucubrationes corpus trahit, ignotus veluti ciuibus, neglectus atque poſthabitus ab iis, quorum erat viros magnos re, verbis atque honoribus extollere, ſpe illa non vana erigitur, eſſe apud exteros, qui rite metiantur merita, non defuturos poſteros, qui grata memoria recolant anteceſſorum benefacta, modo extent ſcripta, certiſſima ingenii documenta. Eo cuique noſtrum aliquando eundum eſt, quo omnia eunt. Fabula, quam bene acta ſit, non quam diu, refert. Sequamur ergo, quo nos fata trahunt. Simus Roſcii in arte noſtra, dum licet; Quid faciant hiſtriones ventoſi et ſcriptores ephemeri, curandum non eſt. Quorundam ſcripta, inquit Seneca*), clarum habent tantum nomen, cetera exſanguia ſunt. Si qui vir probus ac vere doctus eſt, ſi patriae ac ciuibus bene merendo vtilis, ſi propter praeclare dicta et facta rite aeſtimanti et iudicanti carus, ſi totus in eo eſt, vt vitam factis extendat, non deerit inter poſtgenitos, qui eum quaſi ab inferis excitet, et atauum nepotulis, tanquam exemplum, in quod intueantur ſedulo, oſtendat atque impenſius

 com-

*) Epiſt. 64.



commendet. Dignus hoc encomio, si quis alius, est CASPAR HOFMANNNVS, celeb. praeterito seculo apud Altorfinos medicus, litterarum graecarum doctissimus, medicinae, qualis tunc temporis erat, gnarissimus, Galeni vindex velutique instaurator, durus in aduersarios, laudatus a multis *), carus plurimis, maxime GVIDONI PATINO **). HOFMANNVM ***) colo, inquit, tanquam magnum sidus Germaniae, imo forte vnicum phoenicem vel saltem principem omnium eruditorum, quotquot sunt in Europa cet. Et iterum: Je honore sa grande erudition, et ne me plains point de son humeur — Il a travaillé toute sa vie pour l'eclaircissement de la verité et a merité par ses travaux une toute autre fortune que celle qu'il a eue; mais il n'est pas le premier malheureux Lettré — Immo vero cum per bella ****) non liceret, amicum inuisere, certe parata pecunia ab heredibus †) libros quosdam Msctos sibi comparauit, de editione

*) Vid. STOLLE Hist. Medic. Gelahrh. p. 274. seq. WITTEN Memoriae Medicor. Decad. I. p. 132.

**) Vid. Lettres Choisies, à Paris 1685. 12. Ed. auct. à Cologne 1691. T. I. II. III. Nouvelles Lettres de feu Mr. GVI PATIN tirées du Cabinet de Mr. CHARLES SPON T. I. II. à Amsterd. 1718. 12. L'Esprit de GVI PATIN tiré de ses Conversations, de son Cabinet, de ses Lettres et de ses autres Ouvrages, à Amst. 1710. 12. Lepidus et facetiarum iocorumque plenus liber est, atque ob materiae vbertatem summamque in re litteraria vtilitatem versione germanica dignissimus. Etenim erat PATINVS vir iocosus, nebulonum, histrionum, chemicorum, medicorum semidoctorum et stibiatorum osor, risor Horatianus et totus in scommatis, hinc non veretur, commoda data occasione, regem eiusque amicos ac amicas, pontificem, purpuratos, RICHELIVM et MAZARINVM, monachos, Iesuitas et quoscunque alios, qui fauorem, amicos potentes, honores, numos, praemia, habent, non cerebrum, salse traducere.

***) V. Lettres ecrit. à Mr. SPON T. I. p. 108. et 120. Plura testimonia animi Patiniani in HOFMANNVM vide ib. p. 212. et T. II. p. 393. Lettr. Choif. T. II. p. 54. et 433. p. 551.

****) Lettres à SPON, p. 114. T. I.

†) Lettr. Choif. p. 105. et 116. T. I. Lettr. à SPON, p. 206. T. I.

tione operum ††) sollicitus. Sed irritus iste labor ††) fuit. Interea rerum id effecit, vt HOFMANNVS ipse libellos suos hinc inde corrigeret vnaque ipse vitam rogatu PATINI conscriberet operibus †††) praefigendam. Non est (fateor) adumbratio ita comparata, vt mihi satis placeat, quippe magis fata viri, quam studiorum rationem continet: Sed contenti simus hoc Catone. Satis est, habere fidam beneque expressam HOFMANNI imaginem, quam nullam. Actor fabulae spectatore praestabilior ac fide dignior est, ideoque in spem certissimam ingredior, fore, vt, qui vltra decennium sapiunt, et cum maioribus bene meritis esse solent, mecum gratias agant decentissimas Generos. atque Excell. de MVRR, qui, quo est in litteras studio, quo in HOFMANNIANOS manes amore, hanc vitam manu VOLCAMERI, generi, conscriptam et manu HOFMANNI, soceri, hinc inde auctam vna cum quibusdam reliquiis beneuole mihi dono dedit. Adferet haec vitae HOFMANNIANAE narratio praeter voluptatem hoc certe commodum, vt, si quis bene de litteris meritus, per varios casus et rerum discrimina transiit, si maleuolorum hominum iniurias tulit, conuicia spreuit, magnum vt virum decet, ad vitae metam sensim delatus, laetus hilarisque dicere possit:

*Vixi et quem dederat cursum fortuna, peregi.*

---

Quae desideras, mi PATINE, faxo breuiter et ex fide mea. Natus est HOFMANNVS Gothae in Thuringia, et quidem in suburbio Erfordiensi dicto, aedicula exili, ad oram stagni equulii posita, et quae non amplius est. Adeo quassarunt illam bella haec ciuilia! Nec mirum, cum neque ipsam vrbem melius habuerint. Anno namque superiori 1632. die D. BARTHOLOMAEO festo, et

 rursus

††) Lettr. Choif. p. 433. T. I. et p. 497. T. II. et p. 277. T. III.

†††) Lettr. à SPON, p. 268. T. II.

††††) En Titulum: CASP. HOFMANNI *Opera Omnia in quatuor Tomos tributa, in quorum primo Physiologica, in Secundo Pathologica, in Tertio Institutiones medicae, in Quarto Varia. Adscripta vero est aliena manu biographiae* Francof. 1680. 4. Obiit III. Non. Nouembr. 1648.



rursus 1646. die 23. Febr. Mulciber illam ita deuastauit, vt, si reuisam, non agnoscam. Vidi autem vltimum anno seculari 1600. mense Augusto. Pater ipsi fuit IOANNES, opificio faber ferrarius, oriundus pago *Schweina*, duobus milliaribus vltra *Gotham*, ad siluam Semanam PTOLOMAEO *) dictam. Huic pater CYRIACVS fuit, praefectus operarum fabrilium in dicto pago, mater ex gente APFELIA, eiusdem ib. ἐπιτηδεύματος. Vtroque hoc parente exstincto peste, vtriusque sexus liberi impuberes varie dispersi sunt, APFELIIS se pro heredibus gerentibus. Pagus ipse sub ditione est nobilium HVNDIORVM a WENCKHEIM zum Altensteig, quorum vnus, BVRCARDVS nomine, Consiliarius fuit meo tempore Illustrissimi D. IO. CASIMIRI, Saxoniae Ducis, Coburgi. Mater fuit ANNA, IO. LEVFERI primogenita ex CATHARINA IOHNIA, quae attinebat GOTTHARDVM IOHN, illum, cuius statua lapidea super altera Curiae porta est, et sub illa duo pueri, panem ab illo flagitantes. Ex his coniugibus natus CASPARIVS noster 1572. (famoso et laniena Parisiensi, et noua Stella in Cassiopea) 8. Nou. **), qui erat dies Saturni, circa 4. antem. baptisatus eodem die in aede Margaritana a M. IO. MESSERSCHMIDT, principe diacono, spondente CASPARO MVNK, sutore. Hic primogenitus, cum, finito primo anno, mirabili occasione, translatus esset in domum auitam, mansit ibi vsque ad plenam pubertatem, diligenter illum contra priuignos tuente APOLLONIA BROTKOERMIN, tertia LEVFERI coniuge. Licet enim ἄπαις illa esset, adeoque expers amoris in liberos, vt videri possit alicui, tamen mirifice amauit hunc CASPARVLVM, prospexitque illi de victu et amictu. Hoc fecit etiam, mortuo post quadriennium parente, adeoque in altero matris coniugio cum LAVRENTIO BREITENBACHIO inito.

Cum sexennium attigisset, et a LEVFERO, viro quidem vno ex vulgo, sed amoeni sapientisque iudicii, in scholam oppidanam ductus esset,

*) Vide CLVVER. 3. Germ. 47. cui obiici potest Meliboeus, qui in Hassia est, et Rhenum attingit.


**) Vide l. cit. post cap. 24. **) In marg. adscr. 5. Id. Nov.




esset, tam duriter primo ipso die ab Orbiliis istis exceptus est, vt nollet amplius se comittere illis. Tamen persuasus ab auo tandem iuit. Et cum subinde inferiores dominastri in eodem flagitio persisterent, opposuit se illis *Rector*, vir egregius, M. IO. HELDERVS, praedicatis profectibus adolescentis insignibus. Idem, vt eriperet imperio seruili, anno aetatis eius, qui erat salutis nostrae 1591. commendauit Cl. V. BRESSERO, Historico Lipsiensi: sed infeliciter. Vtut enim solicite laboraret pro HOFMANNO, aliam tamen conditionem pro illo non reperit, quam duram illam quaeque a Musis prorsus alienaret. Durauit tamen Noster per integram aestatem, ne pro molli haberetur. Circa autumnum cum ex malo victu καχέκτης fieret, properauit domum, et tota hieme laborauit incipiente hydrope, adeo, vt de alio vitae genere cogitaret. Circa idem tempus cum Argentina domum veniret PHILIPPVS WALTEKKER, bibliopolae quondam nostri filius, et passim praedicaret studium Argentinensium in promouendis pauperibus, persuasit cognatis, et inter hos honoratissimo MELCHIORI HERTINGO, vt consilium daret de me illuc mittendo. Corrasit auus viaticuli aliquid, et dimisit sub initium veris 92. Quid fit? Cum Spiram venissemus, nunciat fama, mortuum esse Episcopum Argentinensem, IOANNEM, natum e comitibus a MANDERSCHEIT. Qua ex re quid consecuturum sit, statim diuinauit PHILIPPVS, consiliorum quippe non nescius. Perrexi tum cum illo, quamuis alter ἰδιώτης.

Et euenit, quod ille dixit. Post enim paucos dies Canonici ii, qui in vrbe erant, elegerunt Illustrissimum Principem, D. IOANNEM GEORGIVM, iuuenem 16. annorum, ex Electoribus Brandenburgicis natum, qui vero tabernis Alsaticis, CAROLVM, Cardinalem, Lothringum. Ibi tum bellum minari Argentinenses, victum omnem incendere, omnia fieri, quae fugam mihi suaderent. Quam vt meditarer potius, quam domuitionem, pene infinita erant. Quae dum verso susque deque, comes se mihi offert Wetteranus quidam, qui vult consilium petam a D. GEORGIO FLADVNGO, ciue meo, concionatore aulico comitum Solmensium in Laubach.

Ad



Ad quem cum veni, et *Brunsvigam* audiui, pene extra me raptus ſum. Neque tamen habebam, quo me verterem. Iui igitur, et auxilium imploraui primum D. MARTINI BAREMII, Rectoris tunc temporis Scholae Martinianae. A quo praeter ſpem repulſus, conuerti me ad D. CAROLVM BAVMANNVM, Rectorem ſcholae Catharinianae, qui, addito mihi calefactore, deduci iuſſit ad ciuem primarium, D. IACOBVM GRÖNHAGEN, qui commendauit mihi quatuor ſuos filios, cum repromiſſo victu quotidiano. Cogitaui multa, ſed plura, cum ingreſſus molendinum plus, quam aſinarium, vidi, quam contemtibilis eſſem petulcis iſtis pueris, quamquam victus ille a natura mea et conſtitutione morboſa alienus; ne dicam, ſecludi me ab omni Muſarum conſortio!

Tuli tamen fecique omnia, quae ſors aduerſa volebat: Cum ſub autumnum Noriberga venit HENRICVS FABER, Leucopetraeus, Misnicus, multa commemorans de commoditatibus loci, praeſertim illud, quod multis contingat, vt poſt labores vnius atque alterius anni mittantur in Academias, in quibus abſoluant ſtudia ſua, vt ſolemus loqui. Hoc vnum cum in votis haberem, et ſubiret memoriae, quod aliquando audiueram ab Superintendente noſtro, D. M. MICH. IVLIO, deum ſolere non raro bonis ingeniis ſubmittere angelos ſuos, qui moneant, qua ſit eundum, vt emergere poſſint. Quid ſi (dicebam) hic FABER ſit angelus tuus, cui obuiam iuſſerit te ire FLADVNGVS?

Nec mora. Perſcripſi ad auum et auiam omnia, et rogaui enixe, ſuccurrerent vltimum deſerto mihi vndiquaque. Paruerunt illi, et per proprium tabellarium miſerunt aliquot florenos, quot itineri tam longinquo ſatis eſſent. Quo factum eſt, vt, quamprimum hiemis anni 93. aura blandior inciperet eſſe, viae me dederim, comitibus duobus WALTHERIS, fratribus, filiis ſeniculi paſtoris in Almenhuſen, qui pagus eſt ſub nobilibus a SCHLOTHEIM, illa Thuringiae parte, quae ob ſoli fertilitatem dicitur *die güldene Aue.*

Huic cum expoſuiſſemus conſilia noſtra, vt erat doctus et ingenioſus, ſubito reſpondit ex OVIDIO:

Sed

*Sed, quae vos petitis, forſitan alter habet!*

Nos nihil territi, ſerio vrgebamus iter noſtrum, et Noribergam venimus ante Paſcha. Ego, exhibitis litteris FABRI commendatitiis, benignum et facilem expertus ſum Cl. D. M. MATTHIAM SCHILHERVM, inclutae Reipublicae Proto-Notarium. Non tantum enim deduxit me ad Rectorem Laurentianum ipſus, et, vt reciperer, effecit, ſed etiam in coena ſecum habuit, viaticum pro manu dedit, et laetum in diuerſorium dimiſit. Tam bene ſe habentibus principiis, ſtiti me in templo et ſchola, obtinuique a Rectore, vt commendarer genero SCHILHERI, D. MICHAELI SCHMIT, pro praeceptore priuato, cui praecipue curae eſſet maior natus, quem ſtudiis manciparat auus maternus. Cum quotidie ex Senatu veniret ille inſpectum labores meos; iam tum cogitare coepit de promotione mea, ſed nihil dixit vsque ad VIII. Nouemb. Quo die ſeorſim me ductum laudauit primum diligentiam meam hactenus adhibitam, deinde ſubiunxit: TV, CASPARE, *notabis hunc diem albo lapillo! Hoc enim feci te ciuem Noricum, impetratis ab incluto ſenatu* XXXX. *florenis, pro ſtipendio in Academia Altorfina annuo.* Cui cum latine gratias egiſſem, et inter alia dixiſſem, hunc VIII. Nou. *) a Deo ipſo ſignatum eſſe iam dudum in corde meo; Eſſe enim natalem meum XXIV. quo die cum alter mihi contigerit parens, talis et tantus, (ipſum innuebam SCHILHERVM) cauſam me habiturum, cur in poſterum ſingulis annis feſtum et feriatum habeam.

Hac ille oratione delectatus, coepit me amare vehementius ſaepeque ſolari aduentu illius diei, quo Altorfium ituri eſſemus. Is vero dilatus eſt in principium Auguſti, anni CIↃ DLXXXXV. Quo cum ventum eſſet, ſubſtiti ibi per integrum pene ſeptennium, varie cruciatus inobedientia diſcipuli, quem frugi eſſe multum intererat mea. Amabar enim non minus, quam filius. Huius amoris praecipuum ſignum fuit paterna cura et ſumtus facti in dyſenteria epidemia

*) In marg. 1594. 22. natus 1572. hic vero ao. 94.



demia anni ſequentis, qua affligebar ob immoderata ſtudia aliasque cauſas. Remuneret Deus!

Inclareſcebat tum ſtipendium medicum *Aicholzianum* (IOANNES AICHOZIVS, Medicus Vienneńſis, diues, ſed ἄπαις, legauit D. D. Noricis aliquot centena, vt ex foenore alatur vnus et alter medicinae ſtudioſus pauper, extra Germaniam) quo primus fruebatur in Italia M. ERN. SONERVS, Noribergenſis, cui reduci *), vt ego, qui medicinae, neſcio, quo fato, me manciparam, ſubſtituerer, vnice ſatagebat SCHILHERVS. Et factum eſt. Verum quia obſtabant illi, qui 200. tantum florenos decernebant mihi, cum SONERVS 50. amplius habuiſſet, interuenit mora quaedam. Hanc praecipitabant viri honeſtiſſimi, nobilis adoleſcentis, IOANNIS HIERONYMI MVRH, tutores; qui me poſtulabant pro maioredomus illius, promiſſis 50. florenis vna cum locario camerae. Quo facto, quaſi coacti ſunt liuidi illi me dimittere.

Auguſtam igitur Vindelicorum venimus principio Auguſti 1602., inde Venetias intra decendium, mox intra triduum Patauiam Antenoris: Vbi cum in portu me eſſe putarem, febris me corripuit, qua intra dies non multos, partim ſolertia Excellentiſſimi D. HERCVLIS SAXONIAE ſedata, partim beneficio naturae, criſin per aluum facientis: ſuperuenit inſperatum quid, quod faſtidium Patauini aeris mihi peperit. Cum enim tempus in propinquo eſſet, quo nouus eligeretur Conſiliarius, eſſemus vero numero pauci, iidemque ſumtibus impares: Ψήφισμα factum eſt a nobis, omnes quidem ſortis aleam ſubiremus, ſed illi, quem ſors vellet, liberum eſſet, vel paucos faciendi ſumtus, vel nullos; Sic ergo protractus ſum in medium.

Subiui quidem onus per aliquot menſes: ſed cum Poloni mira conſilia agitarent de futuro Conſiliario, cogitationes inſtitui de me ſubducendo ex orcheſtra. Inueni autem duos amicos, qui eiusdem mecum ſententiae Baſileam cogitarent. Vbi cum aliquamdiu ſtetiſſemus, vsque dum nubes collectae diſſiparentur, conſilium ſubiit de promo-


*) In marg. 1601.

promouendo in Doctorem, praesertim cum non deessent competitores. Erat iam adulta aestas, et fere in propinquo mensis meus natalis, in quo semper constitueram habere velle disputationem inauguralem. Adii igitur Decanum, et singula ita disposui, vt dicto die VIII. Nouembris *) pensum absoluerem. Peracta promotione et conuiuio satis specioso, certis de causis Argentinam properaui in conuictum D. AGGERII, ibique mansi vsque ad nundinas vernales Francofurtenses. Quibus finitis, ipsis vigiliis Paschatos anni 1606. conscendi currum Noribergam versus, mox recipiendus in aedes et conuictum M. IOANNIS ZVNNERI. Consumta ibi aestate, cum sub initium autumni peste mortuus esset D. D. NICOLAVS TAVRELLVS, et tota Academia Altorfina dissipata, pro pestilentiali medico conductus sum a D D. prouincialibus iuxta et Scholarchis. Sed cum res citra periculum esset, vsus sum tempore illo ad conciliandum mihi amorem D. D. Professorum. De horum consilio cum intercessionales impetrassem ab Senatu Academico ad Amplissimos D. D. SCHOLARCHAS pro loco TAVRELLI, iui mense Februario 1607. sollicitatum Noribergam. Qua in re cum faciles et promtos se ostenderent omnes, receptus sum, nemine reclamante, sed praesentationis dies reiectus est in festum PETRO-PAVLINVM. Cuius altero die omnes Scholarchae, perorante D. PROCANCELLARIO, PHIL. CAM. in superiori arcis coenaculo, stiterunt me Professoribus, et Professorem publicum designarunt cum mandato, post decursos caniculares conscenderem cathedram.

Ibi tum omnes esse sollicitos de conciliandis mihi nuptiis, aliis huc vocantibus, aliis illuc: sed euicit studium Magnifici D. Rectoris, D. D. ERNESTI SONERI, hospitis et collegae mei. Is enim legatus missus ad nuptias secundas Nobilissimi et Amplissimi viri, D. GEORGII VOLCAMERI, Protoscholarchae, hoc agebat apud D. D. FVREROS, vt daretur mihi venustissima puella, MARIA MAGDALENA, nata sorore senioris FVRERI, Duumuiri. Res confecta est in curia, quarto a nuptiis die, parario d. D. Rectore



*) In marg. 1605.



ctore et amiciſſimo meo D. D. LEONARTO DOLDIO, Med. D. adeoque eo ipſo veſperi peracta ſunt ſponſalia in aedibus ſoceri, D. D. IO. BVSEREVT, Conſiliarii Norici.

Tum vero altera mea cura fuit, vt nuptiae fierent, vel ipſo die VIII. Nou., vel prope illum. Verum enim vero cum incideret in diem ſolis, cum conſenſu cognatorum, collocaui in diem Lunae ſeq. qui ſacer eſt 4. martyribus coronatis, de quibus videre eſt DRESSERVM, GOLTWVRM, et alios de feſtis. Et nuptiae quidem peractae ſunt cum magna feſtiuitate: qui autem ſucceſſus fuerit profeſſionis, et qui curſus vitae, non eſt huius loci. Quemadmodum neque alterum illud, quot liberi nobis coniugibus nati? Quot denati? Quot ſuperſtites? Rector quidem quater fui, Decanus autem, poſt ampliatam Academiam, quod factum eſt anno 1623. quinquies. Gratia mihi apud ciues quidem ſat magna, apud ſtudioſos autem rara, quia hoſtis ſum Pennalismi iuratus. Vt pauca dicam, vapulo ab illo hominum genere, quod, vt quidam loquuntur, non vult me occupatum eſſe in inquiſitione veritatis, ſed perſiſtere in iis, quae prima didici, vt ex Inſt. meis apparet, veritatem in omnibus praefero. De ſcriptis meis non attinet dicere. Verſantur enim in luce hominum. Quod dicam, omiſſis aliis, non videtur ſicco pede praetereundum, vt cauſam ſuſcepti ſomni meridiani aperiam, vel ideo, quia dicor eo decepiſſe totum mundum! Qua de re videſis hiſtoriam App. poſt cur. c. 16.

Notum eſt omnibus hominibus, in latitudine ſanitatis eſſe quosdam, quibus poſt prandium ventriculus intumeſcit, quibusdam cum borborygmis et dolore, quibusdam ſine his, omnes cum cataphora. In hoc cenſum cum inciperem eſſe poſt dyſenteriam anni 1596. cuius rei veſtigia nonnulla cum ſint in lectionibus SCHERDII τȣ͂ πάνυ, nec nego factum eſſe, nec magnopere excrucior, quid praeter voluntatem accidit: dico propterea, vt conſtet de προφάσει. Contigit autem ideo, quia non ſemper κατὰ τὸν κανόνα viuebam, et impoſſibile erat in tanta ſtudioſorum licentia. Ideo conſuetudo tandem facta eſt. In Italia, vt et Baſileae, cum vinum biberem;


biberem, nihil tale sensi. Noribergae autem, vt et hic, cum res angusta non permitteret vinum, sensi tam euidenter, vt cogerer in lectum me reclinare, et puluinar abdomini praetendere. Eadem symptomata hac senectute adeo grauia mihi sunt, vt cogar etiam superstitiose obseruare tempus illud. Ni faxim, ad omnia inutilis sum. Sin exacta hora, quidem recreatus.

Anno 1642. cum paralysis dextra me afflixisset, coactus sum abdicare omnes cibos flatuosos, praecipue brassicam, rapas, pastinacam, lentes, hordeum, pisa, omnia hortensia, et contentus esse carnibus modicis, iisque temperatis, cum pane similaceo, et in coena quidem vinum bibere, in prandio autem cereuisiae rubrae nobis dictae sextarium vnum. Ita enim ratiocinabar, si ne sic quidem bene coquis, et liber ab excrementis es, quin non cacochymiam tantum, sed et διαφθορὰν persentiscis, quid fiet, si hodie ventriculus in hoc errat, cras in illo, perendie in alio quodam? Id dicit genius mihi in aurem, quod poeta canit:

*Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

Ne quid dissimulem, in accurato illo victu dum vito cacochymiam, plethoram incurro, non illam quidem simpliciter dictam, quae iuuenum est, sed quae senum cum additione, melancholicam, seu serosam: Ideo tolero in scarificatione libram sanguinis integram, qui mediam partem non tolerarem, si sanguis esset bonus. Talis vero est, qualem descripsi ex HIPPOCRATE in tractatu *de Liene*: Heic aliquis τῶν πραϋγελώτων; Tu vero imaginaris tibi et haec, et alia multa! Imo scio faxoque te quoque scire. Quid enim grauitas illa corporis, instante scarificatione? Quid contra leuitas, peracta illa? Vt ad specialia descendam. Quid cataphora illa subinde ingrauescens, cum tempus scarificationis instat? Quid remissio, cum facta est? Adde hoc quoque, quid significat aliquando pulsus in occipitio, exquisite in parte illa, qua ληνος HEROPHILI? Vt dilatem me paululum, cataphora non est, vt quidam rentur, principium apoplexiae, sed est σύμπτωμα νοσῶδες,

 pendens



pendens a propriis suis causis, ob quas veteres apoplexiam referebant ad affectus soporosos. Pulsus quasi intento digito, monstrat locum particularem affecti in apoplexia cerebri, eum ipsum, quem NYMANNVS Witebergae ostendit, ληνον Herophili. Curo igitur (liceat mihi improprie loqui) geminum hoc symptoma, atque ita praeseruo me ab apoplexia, copiosa illa sanguinis vacuatione, quam aliter non possum. Tu vero, inquit alter, non vis intelligere, quantopere noceas viribus tuis! Quantum noceo, tantum restituo, dum in accurato illo victu plus gigno sanguinis, quam dissipo, vel ideo, quia exercitiis careo. Bene enim ingero, bene digero, bene egero.


Tamen peccas in excessu? Non puto. Quia sentio leuamentum. Qui fieri potest, cum nulla sit proportio inter assumta et vacuata? Est, quia sentio mihi bene esse. Et est, quia e vasis cutaneis vacuo, non autem e maioribus vasis. Ideo inter amicos iocari soleo, vt obstruam oribus eorum, qui statuunt annum 60. terminum venae sectionis; singulis mensibus venam seco. Quo loco, additum volo. Hoc succedit in me, quia sanguineus natus sum, et hepar *) meum sanum plus facit sanguinis, quam opus est. In bilioso non succederet. Hoc telo directe vtitur vxor mea, et ipsa sanguinea. Licet enim 64. annum superarit, et menses non amplius eant, tamen singulis annis et cum commodo suo, bis terue secat venam. Hoc vt faciat, natura ipsa postulat. Addo etiam, hoc cum superioribus annis vterer remedio, deficiente luna, hoc biennio vtor altero a nouilunio die, et fere liber sum a catarrhis. Cuius rei quae causa? Quia sunt morbi conformationis, in viis laxis, et erunt humores tum; cum vasa humectantur a luna. An sanguinis huius vacuatio praestat mihi noctes quasdam tutas a turbis melancholicis? Alioquin enim solenne mihi est, postquam edormiui villum meum, iactare me in lecto, et depugnare cum variis deliramentis.

## CONCLVSIO.

*Sum* MENDICABLVM *(Sic proloquar ore diserto:)*
*Sed Deus erectum miserum e paedore maligno*

*Inter-*

*) Ex hypothesi tunc recepta.





*Inter constituit primores Vrbis et Orbis*
*Iussitque auricomi* TVBA *sim clarissima* VERI.
*Hinc adeo Triton velut alter caerula ponti*
*Persono, et ignauos doctores excito concha,*
*Ne porro exspectent nutum trucis Adrasteos.*
*Quin diues duco passim, lateque potenti*
*Imperio premo securos* VERIQVE BONIQVE
*Scilicet Autarcéa mihi sua commoda praestat,*
*Vt, quamuis habeam pauca; omni ex parte beatus]*
*Esse tamen dicar. Nec ego dissentio. Certe*
*Par est, ne septum testudo se exserat extra.*

*De Operibus* HOFMANNI, *qua editis, qua edendis.*

Edita sunt ab anno 1618. Francofurti in fol.
1. Com. in GAL. De Vsu Part.
2. Com. tres de Thorace.
3. De Generatione hom. lib. IV.

Praecesserunt haec libelli tres parui in 8. Lipsiae, diuersis annis
1. De vsu lienis.
2. De vsu cerebri.
3. De ichoribus. Hi coniunctim impressi sunt Leidae in 12. 1639.
4. Var. Lect. Lib. VI.

Huc pertinent *Animad.* in MONTANVM, *De Morbo*, vitiosissime impressae a *Ianfonio* 1639. in 12.

Pertinent etiam in eadem forma impressi Lib. III. De Loc. Affect. cum Relatione iocosa cet.

De Institutionibus et Off. in Gallia vulgatis constat.

Edenda restant tria opera χρηστομαθειῶν
1. Εισαγωγικῶν liber exilis.
2. Φυσιολογικῶν satis insignis.
3. Παθολογικῶν insignior.

Huius generis sunt *Post-Curae*, eaeque geminae, Variis Lect. sociandae, licet non valde vrgeam.

Seorsim



Seorſim excudentur tres Tract. ap. *Janſonium* depoſiti

Verſio noua Methodi Medendi *Gal.* cum Comm.

Verſio noua τῶν ὑγιεινῶν *Gal.* itidem cum Comm.

Verſio noua duorum *Theophr.* operum,

De *Hiſt. et Cauſ. Plant.* cum Com. ſed ſuccinctis.

Ante omnia *Notae in Gal.* perpetuae.

*His* TE, PETINE, *marmoreum facimus pro tempore rerum,*
*Si fortuna valet, paullo poſt aureus eſto.*

---

Reliquum eſt, vt in publicum prodire iubeamus ac commendemus PRAENOB. et EXPER. Dn. Candidatum, qui per aliquot annos hac in academia commoratus, futurorum prouidus, ſibi vixit, diligentiam, aſſiduitatem et diſcendi ardorem talem oſtendit, qualem perpauci, et nunquam in otio litterario otioſus fuit. Hinc non opus verbis, fuco vel ampullis eſt. Bonus et doctus quisquis reuera eſt, non eget laudatione, plenis buccis effuſa vel emendicata. Quam bene vero collocatum tempus fuerit, litteris et medicinae ſacrum, quam certus ad metam curſus, ipſum audiamus virum experientiſſimum.

E*go* CAROLVS CHRISTOPHORVS STREBEL, *natus ſum Saalfeldiae die XIV. Menſ. Iulii* CIↃIↃCCLVI, *patre* CHRISTOPHORO FREDERICO, *Sereniſſimi Ducis Saxo-Coburgenſis et Saalfeldenſis a Conſiliis et Rationibus, matre autem* MARIA ELISABETHA FREDERICA, *e familia* VNGERIANA. *Optimi atque cariſſimi parentes, quos viuos et ſaluos adhuc eſſe per Dei gratiam, valde laetor, omni cura diligentiaque elaborarunt non ſolum, vt a prima pueritia ſanctiſſimae religionis noſtrae principiis imbuerer, verum etiam ad pietatem morumque integritatem praeceptis exemplisque excitarer. Sed vt etiam in iis, quibus puerilis aetas erudiri ſolet, doctrinis proficerem, primum priuata quorundam magiſtrorum mihi contigit inſtitutio, deinde publicae*

*praecepto-*

*praeceptorum scholae Saalfeldensis institutioni sum traditus. Inter praeceptores, quibus hic vsus sum, nullo modo praeterire potui* MAVRERVM *atque* OETTELIVM, *Viros Praenobilissimos atque Doctissimos, sed iis publice gratias, quas possum, maximas agere, quae eorum fuit cura in me erudiendo collata, officii mei esse duxi. Quorum ex disciplina XVIII. aetatis anno dimissus, ad Gymnasium Academicum, quod Coburgi floret, me contuli, ibique Cl.* HAPPACHIO, *tunc temporis Directore istius Gymnasii maxime Reuerendo, in numero ciuium esse coepi. Publice profiteri si recusarem, me ex lectionibus, quibus interfui,* BARTENSTEINII, BRIEGLEBII, LOCHMANNI, HORNSCHV, *Professorum celeberrimorum et meritissimorum, eximios cepisse fructus, viderer longe ingratissimus. Qua ratione rite ad altiora studia praeparatus, nullus dubitaui, quin academiam Ienensem, quam ceteris non vna de caussa praeferendam putabam, adirem. Itaque anno huius seculi LXXVI. Ienam profectus, die III. mensis Maii ab Illust.* HENNINGSIO, *fasces Academicos tunc tenente, numero sum adscriptus studiosorum. Hic primum, ne illotis quasi manibus rem medicam attingerem, doctrinis philosophicis addiscendis operam dedi. Logicas igitur, metaphysicas, et reliquis philosophiae partibus destinatas Excell.* VLRICHII *scholas frequentaui. Mathesin vtramque, Astronomiam, Algebram et Cosmologiam me docuit Ill.* WIDEBVRG. *Historiam naturalem, apud b.* WALCHIVM, *item eam vnaque physicam experimentis illustratam et chemiam rationalem audiui non sine magno fructu apud Ill.* SVCCOVIVM. *Tandem praemissis his disciplinis, omne studium atque tempus in rebus medicis ponere coepi. Physiologiam et medicinam legalem magno cum emolumento mihi explicauit Ill. et Excell.* NICOLAI, *Ordinis Gratiosi Senior grauissimus;* GRVNERO *post, Viro Ill. atque Excell., Gratiosae Facult. l. t. Decano, Fautori et Praeceptori nunquam satis colendo, Historiam Medicinae, Botanicam, Physiologiam, Pathologiam, Materiam medicam, Semiologiam, Medicinam legalem, Therapiam tam generalem, quam specialem tradenti, summa cum voluptate ac vtilitate adfui auditor; nec sub Moderatore Ill.* GRVNERO *exercitationes perutiles, disputatoriae quae dicuntur,*



*cuntur*, *habitas neglexi*: *In Anatomia secutus sum et beatum* NEVBAVERVM, *anatomicum et magistrum in arte obstetricia desideratissimum*, *et Excell.* LODERVM, *quem etiam in Chirurgia me nactum esse Praeceptorem profiteri iubeor. Chemiam pharmaceuticam experimentalem*, *Rem obstetriciam*, *nec non Artem Formulas medicas conscribendi*, *ex recitationibus Excell.* STARKE *didici. Denique etiam Praenobiliss. atque Experient. Doct.* SCHENKIVM *Osteologiam*, *Anatomiam et Rem herbariam docentem audiui.*

Hactenus ille. Ego vero non possum non publice profiteri, virum doctissimum Ordini Nostro in examinibus ABVNDE satisfecisse, eaque de re dignissimum esse habitum, cui liceret summos in medicina honores appetere. Quod vt rite atque ex instituto maiorum fiat, me praeside, a. d. XVI. Octobr. suam dissertationem: *De debilitate causa febrium proxima non habenda*, inauguralem dextre conscriptam defendet. Quam panegyrin vt frequentia sua illustriorem splendidioremque reddere velint MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR, COMES ILLVSTRISSIMVS, PATRES CONSCRIPTI et PROFESSORES CELEBERRIMI, nec non GENEROSISSIMI atque DOCTISSIMI COMMILITONES, et si qui supersunt MVSARVM FAVTORES, omni, qua par est, obseruantia et humanitate Ordinis mei verbis oro atque obtestor. P. P. Sub Sigillo *Ordinis Medici* Ienae a. d. XIV. Octobris CIↃIↃCCLXXX.

